



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Quaestio 11. Mandari ne possit Inquisitorib. a sui praelatis, vt  
supersedeat ab executione officij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

Hanc quaestionem habes etiam apud Locatum in opere iudiciali verbo, Inquisitor. S. Inquisitor non tantum nu. 3. adde Campegium apud Zanchinum tract. de here. in praefatione.

## Q V A E S T I O. XI.

Mandari ne possit Inquisitoribus à suis praelatis, ut superfedeant ab executione officij.

**V**ndecima questio est: Vtrum praelati Ordinum Praedicatorum, possint mandare Inquisitoribus suorum Ordinū, superfedere quo ad certos articulos, certae personae, seu eos suspendere, ne suum officium exequantur?

R. elae. supra  
g. 130.

Respondemus, quod olim sic, per clausulam privilegiorum ordinum praedicatorum in quaest. duabus supra proxime allegatam, ubi dicitur sic: Ipsi quoque superfedeant, in iungere, & cetera. Hoc licet tamen non, & bene: & hoc patet supra in secula parte, in Privilegio Alexandrini iij. Clementis iij. & Urbani iij. directo Inquisitoribus Praedicatorum, & Minorum, ubi dicitur sic: Catholicae fidei, & infra: Etsi forsitan Magister, & Minister Generales, alijque Priores, & Provinciales, ac custodes, seu Guardiani aliquorum locorum vestrorum Ordinum, praetextu quorumcumque privilegiorum, seu indulgentiarum eiusdem sedis, dictis Ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum, vobis vel vestrum alicui, seu aliquibus iniunxerint, seu quoquomodo praeceperint, ut ad tempus vel quo ad certos articulos, certae personae in negotio superfedeatis eodem: Nos vobis universis, & singulis auctoritate Apostolica districtive inhibemus, ne ipsi obedire in hac parte, vel intendere quomodo libet praesumat: Nos enim privilegia, sed indulgentias huiusmodi (quantum ad hunc articulum) tenore praesentium revocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quas in vos, vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas proflus decernimus, & inanes.

## C O M M E N T. LX.

**R**eservat hanc Eymerci doctrinam Locatus in opere iudiciali verbo, Inquisitor. S. nota quod nu. 39. Ioannes Rojas tract. de heret. p. 2. nu. 418. & Campegium apud Zanchinum c. 31.

Hoc autem privilegium, ut praelatis suorum ordinum non teneatur obedire Inquisitores in spectantibus ad suum officium: favore fidei ipsis tributus est. Nam cum Romani Pontifices sacrum Inquisitionis officium ab omni impedimento liberum, et immune constituisse sapienter, & religiose decreverint, vniuque ac praecipuum impedimentum nasci potuerit à praelatis religionum, si cum Regularibus Inquisitores creantur, suis praelatis obedire in suo officio tenerentur, propterea prudentissima ratione cautum fuit, ut ab eorum quo ad hoc iurisdictione eximeretur: nec praelati ordinum super Inquisitionis negotio vl-

lam habent potestatem; immo vero tamquam impeditores sancti officij acriter possent coerceri, iuxta qualitatem impedimenti, si quid eorum committerent, quae in hac quaestione recensentur, ac prohibetur illis ne faciant.

Et profecto ob eandem causam tollendorum scilicet omnium impedimentorum Pontifices summi omni aetate ac tempore varij privilegij, & praesidij sanctum Inquisitionis officium munire studuerunt, ut ex multis constitutionibus in eius favorem editis, manifeste constat.

## Q V A E S T I O XII.

**B**An inquisitores teneantur reddere rationem praelatis ordinis de spectantibus ad officium suum.

## S V M M A R I V M.

- 1 Inquisitores subduntur praelatis ordinis in concernentibus religionem suam.
- 2 Non autem in ijs quae sunt officij Inquisitionis.
- 3 Ab Inquisitore ad praelatos ordinis non potest appellari.
- 4 Diluuntur obiecta quaedam contra praefata.
- 5 Quae sint causa legitima remouendi Inquisitorē.



**D**odecima quaestio est: Vtrum praelati ordinum Praedicatorum possint mandare Inquisitoribus suorum ordinum, quatenus eis, seu Capitulo Generali, vel Provinciali reddat rationem de his, quae spectant ad eorum officium Inquisitionis prauitatis?

Respondemus quod non: Inquisitores enim, & sunt religiosi, & sunt domini nostri Papae delegati, iuxta c. Ne aliqui. de here. lib. 6. In quantum sunt religiosi suis praesidentibus, ac domino nostro Papae sunt subditi, vnde quo ad ea quae concernunt suam religionem subiecti sunt domino Papae, & etiam praesidentibus suae religionis: & ideo si Inquisitores committunt contra vota, seu regulam, aut alias obseruantias regulares, & denuntiantur, & interrogantur, & inquiruntur, tenentur veritatem dicere de his, & de alijs etiam concernentibus religionem, ut si inquiratur quid, ubi, & quantum habent, & similia, tenentur praesidentibus eorum inquirentibus reddere rationem extra de stat. mon. c. Cum ad monasterium.

**E** 2 In quantum vero ipsi Inquisitores sunt domini nostri Papae, & nullius alterius delegati, ut in c. Ne aliqui. de here. li. 6. soli domino nostro Papae sunt subiecti, vnde quo ad ea, quae concernunt ipsam delegationem, seu delegationis officium, in nullo subduntur eorum praesidentibus, sed soli soli domino Papae.

3 Et ideo si ipse Inquisitor indebite aliquem verax captum pro haereticum, vel ipsum capto videretur, talis non posset appellare ad praesidentem illius religionis, sed tantum ad dominum nostrum Papam, nec Inquisitor praesidenti suae religionis pe-